



**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvvm Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

Ad Reverendissimvm D. Hieronymvm Verallvm, Titvlis Martini In Montibvs
Presbyterum Cardinalem, & in Gallia Sedis Apostolicæ Legatum, Petrus
Rebuffus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

AD REVERENDISSI-
MVM D. HIERONYMV M VERAL-
LVM, TITVLIS MARTINI IN MONTIBVS PRES-
byterum Cardinalem, & in Gallia Sedis Apostolicæ
Legatum, Petrus Rebuffus.



QVM in omnibus disciplinis, tum in utroq; iure semper com-
modissimum esse putavi, si artis preceptionibus, qua theore-
mata dici solent, usum quis adiungere studeat. Et si ij qui in
iure versantur, à questionibus ociosis & inutilibus, qua
nunquam aut rarissime in actionem hominum vel forum
veniunt, traducant exercitationem suam ad eas, qua quo-
tidiana sunt & forenses. Ab his enim cum disceditur, vagatur studiosi ani-
mus, caretq; fructu operæ, & diuturni laboris. Vnde factum arbitror, ut can-
ta & tam immensa sint interpretum volumina, dum ociosè nimium scripto-
res permulti operam dederunt questionibus effingendis, magis quàm usitatis
exercendis: qua ut quotidiana sunt, & frequentes: ita quotidianas & va-
rias pariunt dubitationes. Itaque cum in docendo atque tractando iure et a-
tem penè omnem consumpsissem, illudq; illustrare quibus p. ssem modis decre-
vissem, visa est mihi Beneficiaria materia tractatu dignissima, omnium uti-
lissima, tum etiam difficilima, qua anfractus infinitos propemodum habeat,
qua suo quoque complexu totius ius Canonicum contineat. Quapropter illud
ipsum quod in omnibus partibus iuris semper sequendum iudicaueram, in hoc
quoque multò magis mihi faciendum duxi: idcirco nomen & titulum huic
libro inscripsi, ut Praxis Beneficiaria appellaretur: nunquam autem dubita-
ui cui dedicarem: tua enim humanitas, dignitas, & amplitudo semper in a-
nimo erat: tua ergo me nullo tibi obsequio deinctum beneficia me tantoperè
obnoxium effecerant, ut existimarem aly nulli quàm tibi me illum debere, a-
lyq; nulli quàm tibi si non tribuerem, me ingratum videri posse: nihil enim
tale aliis debeo, sed tibi maxima: nam cum in Galliam sedis Apostolicæ legatus
venisses, exceptus es, cum ubique honorificentissime, tum in hac regia Parisio-
rum urbe à frequenti & amplissimo Senatu florentissima Academia: demig,
ab omnibus ordinibus ciuiliu & militarium magistratuu, qui obviam
sunt profecti, ut te in urbem deducerent. ita (ne ego alia quàm vera narrem)
omnium animos recreabas singularis tua humanitas prudentia, & eloquen-
tia, qua excipiebantur à te, ut tui videndi desiderio summo omnes teneren-
tur. Me quoque, cum te salutatum venissem, priuatim & familiariter: ita ti-
bi coniunctum voluisti, ut ego in summo beneficio id reponerem. quinetiam
me nihil tale à te sperantem honore protonotariatus Apostolicæ sedis ornasti,

DEDICATIO.

centis libris, duo sacerdotia. Et tamen si huius magnificentie fructu careo, quod longe antequam in me conferres ea sacerdotia, libens ius eorum controuersum inter plurimos, & impeditum erat. Ista tamen ipsa tua liberalitas me tibi adeo obligat, ut perinde me obnoxiam iudicem, ac si essem ea consecutus. Nam in me sine ullo erga tuam dignitatem merito sponte contulisti, quod ex nostrorum Gallorum Praesulum nemine mihi contigit. Quo fit, ut quanto te magis colo, obseruo, suspicio, & diligo animo singulari, tanto uehementius in quosdam ex nostris conciter, quorum doctor eruditorq; sui satis diligens, non publico quidem, ne Reipubl. causa laborare uiderer, sed priuatum eorum ipsorum tantum gratia: quo nomine mihi adhuc tenentur obnoxij: nec enim cum omnium cumulatissime possint, gratiam retulerunt ullam. At mihi id cum aliis multis literatis & probis uiris commune est, qui multum diuq; in iuris diuini & humani literis uersati sunt, horumq; apud te, qui à latere Pontificis maximi sedes, iustior esset querela: atq; de eis huic instituto librorq; meo magis quam de me uerba facere conueniret. Nam & de sacerdotiis differentem oportet quibus debeantur dicere. Ecquis non doleat eos, qui consenuerunt in studiis turis diuini, & humani, nullum uel utilissimi, honestissimi, sanctissimiq; laboris premium consequi, nullumq; locum, quo fructum ferre possunt? Et quidem illud certum est placitis omnibus & constitutionibus diuinis, Pontificiis, & conciliaribus, munera Ecclesiastica doctis & probis decreta, eorumq; causa tantum esse parata. Et iure Gallorum proprio, quod Concordatorum dicitur, nulli alij debentur, quam ei, qui in gradu aliquo sit doctrine & testimonio celebris alicuius Academie probatus: non negauerim cerè deesse in orbe Christiano antistites, qui eruditione, & integritate uita praestent, sed non satis multi esse dicuntur, ut numerum superent imperitorum, sed repellunt, ut contraria ipsa sese mutuo non ferunt, optimos & doctissimos quosq; atq; sedem eorum occupant, quae nullo iure eis debetur: quin & Euangelica lex ratioq; omnis abhorret. Quis enim doctor populi idoneus fuerit, rudis ne stolidus, imperitus, qui docendus ipse est, an peritus? Quis optimo uita exemplo ducet ad uita honestatem, & religionem? Isne qui malo exemplo fuerit, dignusq; supplicio? quem grex ut lupum rapacem fugit, quem omnes oderunt, qui inutilis omnino pastor, qui neque possit, si uelit, propter ignorantiam, neq; uelit, si possit, propter improbitatem gregem tueri, aut iuuare? Quare minime mirandum, si multos hac nostra etas peperit & pariat indies, qui oppugnent & deleant in pleriq; locis hierarchiam, hereses excitent: eruditorumq; nemo aut certe pauci sint, qui defendendam illam suscipiant, sed oppugnant potius (quamquam hoc flagitiosum) commoti grauius dum se negligi uident. Et si uelint, dum omni subsidio carent, non habent ocium, sed reuocantur ad uita necessaria paranda. Neq; apud uulgus a atheritate ualent, ut commoneant:

(unt)

DEDICATIO.

*fant enim in loco humili positi. Iam vero ad istas heresum calamitates tol-
 lendas, arma non sufficient potentioribus, ut in quibusdam provinciis audi-
 mus, persuasis: quibus ratione, argumentis, doctrina, & probitatis exemplo
 opus est: haret enim animo malum. Effet mehercle hac iuris diuini huma-
 nig, peritorum causa mihi exponenda potius quam mea in hoc libri exordio,
 in quo toto de sacerdotiis agitur, cum dentur quibus non conuenit. Sed non
 possum non semper meminisse singularis illius tue in me beneficentia, ut mihi
 de ea quoque dicendum fuisse existimauerim. Interea etiam atque etiam
 rogo & obsecro, ut hoc munusculum quantumcunque ea humanitate, qua
 soles suscipias ut sit testimonium perpetuum & publicum mei non in memo-
 ris aut ingrati animi. Atque dum nihil aliud habeo, aut possum, Deum
 optimum maximum deprecor, ut tue dignitatis magnitudinem conseruet,
 & augeat, ac perpetuam incolumitatem tribuat. Si quem fructum ex hoc
 nostro labore studiosi capiant, tibi acceptum referri velim. Id enim omne tu-
 um feci: si quid aliter habeat, mihi tribui statuo. Sed antequam finem fa-
 ciam, exponam breuiter rationem huius nostri operis. Iam pridem multa qua
 ad beneficiarum materia pertinent contuleram in commentaria mea Con-
 cordatorum Gallie. Multa postea studio, usu, & exercitatione sum conse-
 cutus, quae mihi non negligenda visa sunt, vel cupientibus deneganda, ut
 hoc genus materia, quae praecipua esset iuris Canonici, a me sicuti ceperam
 magis illustraretur: & si qua ad absolutam & perfectam tractationem deesse
 illis commentarijs nostris viderentur, hoc vno libro vberime collecta omnia
 haberent studiosi. Quae praeterea habebam profutura ad interpretationem
 regularum Cancellariae, ab alijs pretermissa, aut aliter quam a nobis intel-
 lecta, suo quoque loco disponens huc congeffi: atque dilucide & commodis-
 sime omnia ista Beneficiaria explicari posse existimaui, si in tres partes diui-
 derem: quarum prima de acquirendis beneficijs, secunda de conseruandis,
 postrema de amittendis. Non solum autem tuae amplitudini offerre volui,
 verum etiam declarare illam ipsam institui mei rationem. Nullus enim est,
 qui prudentia, eruditione, iudicio ve maiori possit haec iudicare, & probare
 cum praeter dignitatis splendorem sis bonarum literarum iuris diuini & hu-
 mani peritia, & vitae integritate praestantissimus, ut merito
 purpurati, & sacri Senatus habearis decus
 & ornamentum, Vale.*